

sub lit. m. et §. 36. Nordalbingos enim, quo nomine Holsati praecipue veniebant, legibus Saxonum iam suo tempore vixisse testis est fide omni dignus Presbyter Bosouienſis, Helmoldus, in Chronico Slavor. Lib. I. cap. 47. pag. 114. editionis cura Henrici Bangerti Scholae, quae Lubecae floret, quondam Rectoris πολυμαθεσάτης, adornatae. *Tres, inquit, Nordalbingorum populi, Sturmarii, Holzati, Thetmarzi, nec habitu, nec lingua multum discrepantes, tenentes Saxonum iura et Christianum nomen.* Vixit autem Helmoldus seculo XII. atque anno 1170. cessit fati, recteque observatum est viris doctis, id quod verba Helmoldiana: *tenentes Saxonum iura;* quoque produnt, usum legum Saxonicarum in Holsatia non aetate demum Helmoldi coepisse, sed diu ante iam viguisse, legibus Haraldinis, quae Danorum Regi Haraldo VI. debentur, apud populos Nordalbingicos, Holsatos, Stormarios et Dithmarsos, abrogatis. Vid. Io. Moller in Isag. ad Hist. Cherson. Cimbric. Part. I. Cap. XV. §. 3. in fin. Imo hi populi Saxones salutati Nordalbingici, id quod fide annalium constat. Sic Auctor Chronici Holsatiae apud Leibnitium in Accessionibus Historicis, Bremensis Presbyter anonymus, qui continuavit Chronicon Helmoldi Slavicum: *Tres nationes, inquit, Sturmaria, Dithmarsia et Holsatia, Nordalwingi ultra Albeam Saxones fuerant vocitati.* Cap. XV. pag. 29. Ipsum etiam temporis punctum momentumque, quo ius Saxoniam in Nordalbingia recipi usu coeperit, Mollerus indicare satagit. *Ex quo autem, inquit, seculo XII. ineunte, regiones Nordalbingicae Comitibus Schauenburgicis a Lothario, Duce Saxoniae, in feudum sunt concessae, iura etiam Saxonum in easdem arbitror introducta.* Cui tamen coniecturae viri, dum viueret, doctissimi adstipulandum esse non censuerim. Nam ante Seculum XII. et Comitibus Dynastiae Billingicae Holsatis imperan-

ran-